



XXXVIII. Hæc forma continet clausulam, de qua quidem nihil est in Signatura expressum, sed in litteris exprimitur debet: *Dummodo tempore data presentium non sit specialiter alteri jus quaesitum.*

XXXIX. Huic clausulae respondet Regula 18. Cancellariae *De non tollendo jus quaesitum*, quæ hodie exprimitur his verbis: "Item ne per varias, quæ pro commissionibus seu mandatis & declarationibus habendis in causis, plerumque sunt suggestiones, iustitia postponatur, idem D.N. decrevit & declaravit suæ intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam seu concessionem, aut gratiam, Litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiam si motu proprio ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus sibi quaesitum quomodolibet tollatur."

XXX. Monet Chokier ad hanc Regulam n. 5. eam plenior factam per Paulum III. qui statuit illius effectum producendum ad quamcumque commissionem, sive mandata, aut declarationes, etiam si motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate sua vel ejus mandato emanaverint.

Quæ verba ideo inserta sunt regulæ, ut latissime fieret ejus interpretatio, ne jus alteri qualicumque per quamcumque Papæ concessionem tolleretur, inquit Chokier numero 6.

XXXI. Dein n. 7. refert, Auditores Rotæ aliquando resolvisse; verbum quomodolibet, positum in fine regulæ, referendum non ad verbum tollatur, sed ad verba, *ius quaesitum*; sicque comprehendit jus quaecumque & cujuscumque generis directi vel indirecti, & etiam improprie sumptum, etiam minimum.

XXXII. Cum igitur Papa non velit per suam provisionem tollere jus alteri quaesitum, sequitur altera clausula, *vacatio qui fuerint vacandi*; ut nimirum cognoscat, an jus alteri alicui sit quaesitum antequam provisionem faciat, aut provisum in possessionem inducat.

XXXIII. Verum hæc clausula, uti & aliæ connexæ V. G. *amos quolibet illicito detentore*, quæ ipsi Commissario vel executori tribuunt cognitionem ipsius causæ sive in petitorio sive possessorio, hic, uti & in Gallia sine effectu est: eo quod controversia super possessorio in materia Beneficiali decidenda sit coram Senatu Regio, idque semper in Litteris *Placeti* exprimitur, in petitorio autem coram iudice ordinario Beneficii, vel iudicibus Synodalibus delegatis in partibus: idque postquam possessorium plene fuerit evacuatum, uti notat Fevretius *De Abusu lib. 3. c. 4. n. 18.*

XXXIV. Deinde monet, quod Ordinarius teneatur dare litteras vulgo *Fisa*, si ipsum provisum prævio examine deprehendat capacem, absque ulla discussione causæ præter examen super capacitate providendi: quia Ordinarius in hoc casu tantum censetur Executor quoad solum examen super capacitate Provisi ad beneficium, de quo agitur.

XXXV. Hæc sunt præcipuæ clausulæ quæ provisionibus Romanis inseri consueverunt; notatque Chokier ad Regulam *De non tollendo jus quaesitum numer. 15.* quod "omnes clausulæ de stylo & consuetudine apponi solitæ, habeantur pro appolitis, etiam si non exprimentur."

XXXVI. Signatura, uti & litteræ concluduntur per appositionem *Datæ*, quæ per *Datarium*, seu ejus substitutum apponi contuevit; de qua actum est *parte 1. tit. 2. c. 1.* ubi unà notatum fuit, primò solere apponi *parvam datam*, ac dein extensam, & circa parvam datam esse Galorum speciale privilegium.

## CAPUT VI.

## De Placeto Regio super Provisionibus Apostolicis.

1. Ecclesia in promulgandis legibus & mandatis suave Divinum regimen imitatur.
2. Non semper in hisce Divinum lumen S. Pontifici adest.
3. Patuntur Pontifices ut leges ipsorum antequam recipiantur, reviseantur.
4. Id potius jure in Provisionibus Beneficialibus quam legibus obtinet.
5. Antiqua Belgii consuetudo requirit Placetum Regium pro executione Provisionis Pontificiæ.
6. Hanc consuetudinem inter jura Belgarum retulit Guicciardinus.
7. Eadem est in Gallia & Hispania consuetudo.
8. Consuetudo hæc quoad Provisiones Beneficiales per Principum Edicta firmata.
9. Gubernatrix Belgii scripsit, Litteras Provisionis Nuntii Apostolici debere placetari.
10. Id ipsum edixit Philippus II.
11. Id ipsum Litteris Nuntiorum insertum.
12. An hæc Edicta quoad Nuntios hodie observentur?
13. Scopus Placeti.
14. Supplicatio pro Placeto communicatur Procuratori Regio; & quare?
15. Quid fiat illo audito.
16. Concessio Placeti non derogat juri privatorum.
17. Clausula conservatoria juris tertii Placeto inseri solita.
18. Clausula à Senatu Brabantia adjecta consuetæ.
19. Clausula hæc ostendit, quod Principes neminem citra juris ordinem jure suo privari velint.
20. Id conforme juramento à Principibus Belgii præstari solito.
21. Clausula Placeti evincit, Executores Bullarum non posse de Beneficiis judicare.
22. Placetum subinde annuitur cum limitatione, vel modificatione.
23. Modificationes adicienda Provisionibus Beneficiorum Parochialium.
24. Frequentia similium modificationum exempla.
25. Notabilis clausula addita à Concilio Sanctiore.

**R**Egè nuper notavit Auctor Tractatus De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 2. c. 3. Solemne esse Ecclesiæ, ut in gubernandis Fidelibus, Divinum regimen imitetur, nec solum attingat à fine usque ad finem fortiter, sed etiam disponat omnia suaviter. Itaque honoris Principibus debet meminisse, illorum jura servat illæsa, ordinem & dignitatem Episcoporum veneratur, populorum studia, & usus attendit, omniaque ita ponderat ut consensum, & obedientiam potius obtineat, quam extorqueat; amore allicit, quam timore impellat; nec infirmitati solum parcat, sed interdum etiam malitiæ cedit in iis, quæ cum Religionis periculo non sunt conjuncta.

II. Deinde subjungit: "Verum lumen illud S. Spiritus quod summo Pontifici adest, cum explicanda sunt fidei mysteria, & tradenda morum præcepta, non petuò illi hypocritarum fraudes, aulicorum adulationes, improborum mendacia detegit, non adversus ambitiosorum importunitatem, Magnatum preces, suspecta Officialium consilia, immotos servat. Quid si, quod tamen sine gravi fundamento suspicari nefas est, summas Pontifex aliquo ulciscendæ injuriæ, congregan-

## Pars II. Tit. XXIV. De Provisione Apost.

gregandarum divitiarum, augendæ familiaris, aliove prævio affectu impelleretur ad præcipiendum aliquid suæ potestatis limites transcendens, aut justitiæ repugnans? nec enim altitudo, & sanctitas solii sanctum facit, & à peccato securum. Num, si quid hujusmodi contingeret, ab executione mandato non liceret abstinere? Quod autem in mandatis singularibus, etiam in communibus legibus liceret, quamvis longè difficilior legibus desit justitia, quam præceptis particularibus.

III. Ex his tamquam consequens infert: "Possunt igitur dissimulantibus etiam summis Pontificibus, expendi novæ leges, antequam recipiantur, ut si quæ prodierint, quibus non sit necesse, vel etiam expediens parere, suspendatur executio, ac suspensionis causæ significantur, dummodo id cum bona fide, reverentia debita, & intentione sincera fiat."

IV. Quòd si hujusmodi per sub vel obreptionem, aut particularium consuetudinum, privilegiorum aut jurium ignorantiam, aut aliquorum malitiam in generalibus legibus, quæ maturius expendi solent, contingere queant, quanto amplius in Provisionibus Beneficialibus, quæ ambitiosorum & avarorum fraudibus & importunitatibus, quin & imposturis, non raro obtinentur.

V. Hinc antiqua ac notissima est Belgii nostri consuetudo & praxis, ut Bullæ ac Diplomata Pontificia, præsertim in materia Beneficiali, executionem habere nequeant, neque in iudicio proferri, nisi prius super earum executione habeatur consensus Regius per litteras, quas vulgò hic dicimus, *Litteras Placeti*, vel *placeti*; Gallis autem dicuntur *parereatis*.

VI. Hinc jura Belgarum describens Ludovicus Guicciardinus ait: "Quod res Ecclesiasticas attinet, eandem ferè habet cum Pontifice Maximo Princeps in hac Ditione sua conventiones, quas in Regno suo Rex Galliarum.... nec beneficium ullum aut gratiam potest conferre, nec expedire in hanc terram diplomata, aut quid aliud tale, quod effectum fortiat, absque Principis quidem, vel Conciliorum ejus *placeto* atque consensu."

VII. Eam esse usitatam & notoriam præxim Regni Galliarum, ut provisiones beneficiales executioni non mandentur litteris *Parereatis*, notius est, quam ut probari debeat.

In Hispania quoque litterarum Apostolicarum executionem differri, ac suspendi Regi prætorii decreto & auctoritate, testis est Covarruvias *pract. qq. cap. 35. num. 6.* rationem subjiciens: "Ut Maximus Christi Vicarius (ait) interim certior fiat, quot & quantis afficiatur incommo- dis, & gravaminibus Respublica ista propter multa, quæ ab ipso falsis precibus & suggestionibus impetrantur, quæ minime Sanctissimus Pontifex foret concessurus, si per sinceram justamque narrationem certò sciret, quid spirituali, Ecclesiastico, & temporali hujus regni, & Principatus recto regimini sit conducibilis."

VIII. Plura sunt Principum Edicta, quibus hic usus, nominatim quoad Provisiones Beneficiales stabilitur, & inviolabiliter observari præcipitur. Nam uti notat Zypæus in *Jure Novo tit. De Constitutionibus num. 3.* Beneficialia Diplomata, subreptione, gratiâ, & sordibus sæpe obtinentur.

Supra *tit. 23. cap. 1. num. 38.* meminimus Edicti Philippi Pulchri de 20. Maji 1497. quo admitti vetuit Beneficialia rescripta Curie Romanæ, nisi examinata, recognita, & probata fuerint à supremo Regio Senatu litteris *Placeti* Regii impetratis & expeditis.

IX. Maria Regens & Belgii Gubernatrix 9. Martii anno 1553. per litteras significavit Parlamento Mechliniensi, etiam litteras *Legatorum* sive *Nuntiorum* Sedis Apostolicæ continentibus provisionem beneficiorum debere placetari, tametsi Facultates Nuntiorum fuerint placetatae. Habentur hæc litteræ tomo 1. Edictorum Brabantia *lib. 2. tit. 11. cap. 9.* promittiturque in iisdem litteris Edictum extensius super eadem materia.

Van Epen *Jur. Eccl. Polli.*

X. Hoc edictum vulgatum est anno 1574. per Philippum II. Regem Hispaniarum, quo cavit, ne quis ullius argumenti Bullas, gratias, provisiones, indulta, aliave mandata ex Urbe, aut à *Legatis* Pontificiis profecta, per Belgium executioni mandare ausus sit, nisi prius comprobata fuerint, vel in sanctiore Consistorio, vel in Concilio Brabantia, sub pena proserptionis & publicationis bonorum in contumaces. Ita refert Hubertus Loyens Tractatu De Curia Brabantia *cap. 29. tit. De Litteris Placeti*.

XI. Et in verificatione Litterarum seu Facultatum Cardinalis Carassæ Legati à *latere* ad has Provincias cautum est, quod qui obtinuerint à Legato quamcumque provisionem, gratias aut Bullas, non poterunt uti, sine prævio obtento speciali *placeto* Regio, uti consuetum est fieri in omnibus Provisionibus & Bullis Apostolicis. Habentur litteræ verificatoriae in libello continente Privilegia nominationum Lovaniensium, & diversa alia indulta nominandi ad Beneficia &c. impresso Leodii anno 1665. *pag. 137.*

XII. Zypæus loco supra citato, citatis prædictis litteris Mariae Regentis dicit, quod illas quoad Nuntios Apostolicos *prævis non observet*: "præsertim (ait) cum Nuntii nunc apud principes Belgicæ resident, & ante exercitium legationis litteras suarum facultatum eis exhibent." Et revera Nuntii passim solent dare rescripta delegationis iudicium in causis appellationum, quæ citra illum Principis Placitum suam struuntur hæc in provinciis executionem; uti & litteras suspensionum super aliquibus impedimentis Matrimonii alisque, ad quæ ipsorum auctoritas se extendit; at si beneficia conferendi auctoritate uterentur, haud credo, quod provisiones ipsorum sine *placeto* admitterentur.

XIII. Porro scopus seu finis hujus *placeti* non est, legitimas Pontificum provisiones infringere, aut earum executioni oleam objicere; sed præcavere, ut per sub vel obreptionem, viciam fraudulenter impetratas vel potius extortas provisiones, jura Regia, ac vasallorum violentur, aut Provinciarum receptis ac stabilitis juribus, privilegiis & consuetudinibus, cum magna Reipublicæ seu politicae seu Ecclesiasticæ perturbatione contraveniantur. Verba Bullæ ac Diplomata Pontificia revideri debent ab iis qui supremae jurisdictioni vice regia præsumunt, ut cognoscant, an nihil continet, aut admixtum habeant quod rempublicam lædere possit, in quo omnis *placeti* usus consistit, inquit Hubertus Loyens loco citato; & supra ex Covarruvia quoque vidim.

XIV. Hinc moris est, ut libelli supplices pro impetrandis litteris *placeti* super Bullis Romanis communicentur *Procuratori Regio* seu Officio Fiscali; utpote cujus partes sunt namque Regis in vigilare, ne quid admittatur quod rempublicam turbare vel lædere possit.

XV. Audito autem Officio Fiscali, tum Senatus examinatur *placetum* sit annuendum vel denegandum. Si enim nihil obrehendat, quod juribus Regis deroget aut reipublicæ temporali, vel spirituali noceat, aut inveteratas Patriæ consuetudines, & jura infringat, executionem permittit: Sin aut aliquid prædictorum merito vereatur, *placetum* denegat, aut saltem differt, quoad usque propius de sensu Bullæ in circumstantiis, aut mente Pontificis constiturit & structus fuerit ipse regius Senatus.

XVI. Porro sicuti scopus impetrationis *placeti* regii prævio executionem Bullarum Pontificiarum, est præcavere quid sub obtentu similium Bullarum irrepere, quo ablicuit regimen, seu politicum seu Ecclesiasticum, aut jura regia, vel provinciarum inveteratarum consuetudines convellat, ita obtentum *placetum* hocum operatur & declarat quod in Bulla nihil illorum occurrat: ideoque Rex, cujus partes sunt jura publica sua auctoritate tueri, executioni illius obistere non

potest privatus quispiam per executionem Bullæ jus suum